And expreſſing,

great expectation of the breaking forth of the Kingdom Chriſt in all the Earth.

They manifeſt their faith and hope concerning this buſineſſe by theſe words:

That God will not ſuffer his people here to deal faſly th him in his cauſe, till hee hath accompliſhed his great rk, and brought about his great ends

Whereupon their earneſt praier is put up unto him:

That God would unite their hearts unto himſelf, that y may bee one among themſelvs, and with all the people God who are members of the body of Chriſt; and that y may bee fitted and uſed as Inſtruments in the hand God; for a more full and clear revealing of the Lord us, and a right promulgation of the bleſſed Goſpell, and true intereſt of his Kingdom, and the advance thereof, t oppreſſing yoaks may bee broken, and all burthens moved: that his Tabernacle may be fully raiſed up; and Temple built by his Spirit, that all his people may have lip, one heart, one conſent, one ſhoulder to bow down & rſhip him; that the envie of Judah *and* Ephraim *may taken away; that they may be one, in one fold, with ſhepherd; that the ſwords and ſpears may be turned o plough-ſhares and pruning hooks, and the Earth fil- with the knowledg of the Lord, as the waters cover Sea*

Now where ſo many ſolemn Engagements and Reſoluti- s are taken up and made known; as matters of conſcience be proſecuted in the cauſe of God, there certainly God ll expect ſome reall endeavours for a performance, chiefly n when the opportunity is ſo fairly offered as now it is, l not onely ſo, but when wee are called upon to imbrace s now wee are.

And expreſſing,

great expectation of the breaking forth of the Kingdom Chriſt in all the Earth.

They manifeſt their faith and hope concerning this buſineſſe by theſe words:

That God will not ſuffer his people here to deal faſly th him in his cauſe, till hee hath accompliſhed his great rk, and brought about his great ends

Whereupon their earneſt praier is put up unto him:

That God would unite their hearts unto himſelf, that y may bee one among themſelvs, and with all the people God who are members of the body of Chriſt; and that y may bee fitted and uſed as Inſtruments in the hand God; for a more full and clear revealing of the Lord us, and a right promulgation of the bleſſed Goſpell, and true intereſt of his Kingdom, and the advance thereof, t oppreſſing yoaks may bee broken, and all burthens moved: that his Tabernacle may be fully raiſed up; and Temple built by his Spirit, that all his people may have lip, one heart, one conſent, one ſhoulder to bow down & rſhip him; that the envie of Judah *and* Ephraim *may taken away; that they may be one, in one fold, with ſhepherd; that the ſwords and ſpears may be turned o plough-ſhares and pruning hooks, and the Earth fil- with the knowledg of the Lord, as the waters cover Sea*

Now where ſo many ſolemn Engagements and Reſoluti- s are taken up and made known; as matters of conſcience be proſecuted in the cauſe of God, there certainly God ll expect ſome reall endeavours for a performance, chiefly n when the opportunity is ſo fairly offered as now it is, l not onely ſo, but when wee are called upon to imbrace s now wee are.

IRENICUM:

In quo

CASUS CONSCIENTIÆ

Præcipui, de Viis quærendæ & constituendæ inter Ecclesias Evangelicas Pacis, breviter proponuntur & deciduntur,

Ad exploranda super iis piè Doctorum Judicia,

Vel

Ad Obtinendum super eorum decisione eorundem consensum.

John Dury

17.8x14.2cm
24P

LONDINI,

Impensis RICHARDI WODENOTHE, in vico vulgo vocato *Leaden Hall Street*, 1654.

IRENICUM:

In quo

CASUS

CONSCIENTIÆ

Præcipui, de Vis quærendæ & constituendæ inter Ecclesias Evangelicas Pacis, Breviter proponuntur & decidunt,

Ad explanandum Jopen in pio Doctorum Judicio,

VI

Ad Ecclesiam Sacram in Sacrum Anno Jesu.

LONDINI,

Impensis Richardi Wodenothe, in vico [illegible] Street, 1654.

PROBLEMATA

De Pacis Eccleſiaſticæ conſiliis capeſſendis inter Eccleſias Evangelicas: Propoſita Piè Doctis:

Ut Conſcientiæ quibuſdam caſibus deciſis, Concordiæ formandæ firmandæque ratio Pacificis innotescat.

Ad Rom. 12. 18.
Si fieri poſſit, quantum in vobis eſt, cum omnibus hominibus pacem colite.

UT *Præfationis loco tribus verbis de ſcopo ſubjectoque Problematum Eirenæum noſtrum moneamus: Sciendum eſt, Pacis Eccleſiaſticæ vocabulo nos intelligere, vel Inducias ſeu Ceſſationem à Schiſmaticis controverſiis, vel moderatam hominique Chriſtiano dignam viam neceſſarias tractandi in ſpiritus manſuetudine opinionum differentias: vel apertam denique ac publicam Fraternitatis profeſſionem in Doctrinæ fundamentalibus capitibus; de quibus nulla inter partes exiſtit controverſia: ut impoſterum rejectis quæſtionibus inutilibus ac diſcordiæ fomentis, ædificationis mutuæ ſtudiis per ſpiritus communionem ſedulò incumbant Eccleſiæ utriuſque & membra & antiſtites.*

Hoc autem Fine Quæſtiones iſtæ proponantur variis, ut communi omnium piorum ac verè cœleſtis Doctrinæ conſultorum con-

ſenſu conſcientiæ multorum fluctuantes atque hæſitantes perplexa dubitatione dirigantur ad concordiæ portum.

Petimus itaque per viſcera atque miſerationes Domini noſtri Jeſu Chriſti, ut ſi qua eſt ſpiritus communio, ſi quod ſolatium Charitatis; Digneris quiſquis es verbi Præco, qui Deo temet dicaſti; quiſquis es vir Pietatis ſenſu prædite, qui afflictiſſimæ matris Eccleſiæ ruinis affectus nobiſcum ingemiſcis; quiſquis denique es homo optime, id eſt, Chriſtiane, qui Evangelium veritatis & pacis amas aut propagare ſtudes: Digneris (inquam) ſi ullo unquam exarſiſti ergo Domum Dei zelo; hoc ſaltem deflendo rerum ſtatu conſilio ſalutari nobis adeſſe; & lucem quam Dei Spiritus in te accenſam fratribus ignorantiæ tenebris denſaque afflictionum ac caliginoſa tempeſtate obrutis prælucere voluit (lucem inquam illam) occultare ne velis: ſed fideliter, diligenter ac ſincerè radios illius ad nos occultis ſecretiſque viis quarum tibi ratio pateſcet, dirige. Sic efficies ut gratiarum actiones exhibitæ à multis Deo, ad veritatis ejus miſericordiæque gloriam manifeſtò redundent: talentique tibi ad Eccleſiæ emolumentum commiſſi uſus fructuſque in Domino non inanis, ac tibi ipſi in illa die glorioſus ac lucroſus appareat.

AMEN.

Liceat

Liceat ergo judicium vestrum tribus hisce sequentibus super capitibus scrutari, ac fratribus quicquid consilii dederitis, communicare

Quærimus Primò de ipso Opere Pacificationis. Secundò, de Mediis Modoque agendi. Tertiò, de controversiæ particularibus objectis.

De ipso Opere in Genere.

AN non in opere Pacificationis Symmystæ sacri Ministerii provocari & consociari ad consiliorum communicationem possint: & à quo, & quomodo id legitimè, laudabiliter, ac cum fructu fieri possit & debeat?

Si id fieri possit ab aliquibus, quibus Argumentis & suasionum stimulis impelli debeant illi quibus id muneris incumbit?

2. An spes ulla affulgeat hoc rerum lachrymabili statu pacem inveniri posse ab iis qui eam sincero affectu quærunt inter Evangelicas Ecclesias?

Si de Pacis effectu desperandum est inter Ecclesias, quidnam illud sit quod omnium piorum votis ita obstat, ut removeri nequeat?

Si spes adhuc reliqua ulla est, quibus illa viis divinæque atque humanæ prudentiæ rationibus ad optatum finem perducenda est?

3. An quicquam Ecclesiis Dei, turbatarum conscien-

tiarum solatio, ac animarum saluti, Evangelicæque veritatis propagationi, magis aut necessarium aut fructuosum sit hoc tempore, quàm hujusmodi concordiæ sanctæ studium: in quo salva dissidentium conscientia ac fraternitatis vinculo non rupto, per agnitæ veritatis professionem liberam, liceat quibusdam in iis quibus jactamur hodie (sine fundamenti jactura) opinionum humanarum fluctibus ac ventis, dissentire, ac dissensionem liberè profiteri sine Schismate & sine temerario zèli fervore, quo ad rigidas adversus alios censuras impelluntur nonulli?

4. Quid effectus unionis, piæque inter Ecclesias Evangelicas Pacis afferre boni Ecclesiis, quid Regnis ac Rebuspub. posset?

5. Quantum in Deum, in ejus Ecclesiam, in seipsos peccant non solum illi qui discordiarum zizaniam serunt & fovent: sed illi qui cum à Deo ad publicas in Ecclesia curas vocati sint, hanc tamen curarum præcipuam, hanc divinarum benedictionum erga omnes, hanc charitatis erga invicem scaturiginem, hanc denique in ædificio Dei proximam fundamento substructionem aut negligunt aut aversantur.

De Mediis Agendique Modo.

QUibus Instrumentis utendum in negotio promovendo: utrum Ecclesiasticis, an Politicis, an utrisque? Si utrisque, quidnam his, quidnam illis Officii ratione incum-

incumbet? quomodo operas & quid inter se partientur? quomodo & quid conjunctim agent?

2. An non in opere toto modus agendi in quærenda Pace momentum longè maximum habeat, ita ut nihil æquè in deliberationem venire debeat?

1. Si ita est, quid in agendi modo maximopere cavendum; quid enixè conandum?

2. An non ante omnia in agendi modo ratio præjudicatas tollendi opiniones sedulò accuratèque tenenda sit? & quænam illa esse poterit?

3. Utrum via scientifica an via charitatis; utrum disputationibus aut suasionibus; utrum per Intellectus in conscientiæ seu voluntatis convictionem procedendum sit; an utrâque viâ potius?

4. Si utrâque, utrum simul an seorsim? & qua prius, qua posterius? & quomodo utraque adhibenda?

5. Si Conscientiæ viâ potius quam Scientiæ, id est, viâ Practicâ & Suasoriâ potius quam Theoreticâ & argumentativâ, quibus rationibus maximè efficacibus ac suasionum stimulis, aut evidentibus convictionum radiis, Conscientia quævis Pietatis divinique timoris aliquo saltem sensu prædita, vel redargui vel convinci possit temerarii sui zeli? vel impelli, instrui, & permoveri queat ad Moderationis, Patientiæ, Compassionis, Humilitatis, mutuæque Charitatis, Benignitatis ac Tolerantiæ affectus exercendos?

3. Si in Agendi modo rei cardo non versetur, quâ in re alia illum ponemus?

De Controversis Capitibus.

CUm duplex sit controversia, altera de Ceremoniis quibusdam, altera de Dogmatibus; quænam prius componi possit, & utra majoris sit momenti?

2. De Rebus Adiaphoris optandum foret evidentem ex Apostoli Doctrina ad *Roman.* 14. & 1 *Cor.* 8. 9, 10, 11. desumptam explicationem esse; quæ ad particulares ætatis nostræ circumstantias applicari posset, ut scire contingeret spiritu mansuetis,

1. Quid sua natura sit Adiaphorum, quid non?

2. Quousque res Adiaphora urgeri possit ab uno & rejici ab alio, vel non urgeri & non rejici?

3. Quibus Circumstantiis rerum indifferentium natura mutatur?

4. Quid propriè dicta superstitio sit, & quinam ejus sint gradus?

5. Quousque in fide robustus tenetur infirmos ferre ad ædificationem?

6. Quinam in fide robusti, quinam debiles censendi sint?

7 Quid de Cæremoniis inter nos & Lutheranos controversis censendum; scil. de Exorcismo, de Fractione Panis in S. Cœna, de Auriculari Confessione, de Altaribus, Imaginibus, linea veste; utrum sint res Adiaphoræ nec ne?

8. An non ille qui se Reformatæ professionis vocat Evangelicum seu Christianum, si nulla alicubi alia Ec-

clesia

cleſia ipſi pateat præterquam illa quæ ſe vocat Lutheranam, teneatur ſe illi jungere, ejuſque ſe membrum profiteri? & vice verſa de Lutherano eadem eſt quæſtio.

9. Si teneatur, quouſque licet ipſi, diſſenſum ab Eccleſia illa teſtari privatim vel publicè, & quouſque non licet?

10. Si quidem licet omnia ſemet omnibus facere, exemplo Apoſtoli, 1 *Cor.* 9. Quibus in rebus & caſibus ac quomodo id fieri debeat?

3. De Doctrinæ Capitibus, quomodo illa publicè, quomodo privatim, quomodo in ſcriptis, quomodo pro concione tractari debeant ad ædificationem? hinc inquirere liceat,

1. Qua ratione clamoſorum hominum contumelioſis calumniis occurrendum ſit?

2. Qua via altercandi ac diſputandi cacoëthes ſanari poſſit?

3. Quid de Scholaſticis diſputationum methodis cenſendum, apud quos, quibus in rebus, & quomodo utiliter adhiberi poſſint?

4. An non in Doctrina veritatis aſſerenda tutius ſit & utilius, rem controverſam viâ Confirmationis per Theſes & Antitheſes tractare, in expoſitione proprij Dogmatis, quam viâ refutationis adverſarij Dogma evertere?

5. Quomodo fundamentalia Doctrinæ ac Eccleſiaſticæ Diſciplinæ capita à non fundamentalibus diſtingui debeant?

6. An Capita Doctrinæ controversa inter Evangelicos de Persona Christi, de Præsentia & Manducatione corporis ejus in S. Cœna, de Gratia Universali; sint Fundamentalia, nec ne in iis rebus in quibus controversiæ cardo existit?

7. An quilibet in quolibet fundamentali Doctrinæ capite error, errantem à vera fide ac proinde à mediis salutis efficacibus separet?

8. An dissensio quæ est inter Lutheranos & Reformatos, sit irreconciliabilis nulloque respectu consensus iniri possit?

9. Quænam Doctrinæ atque Exhortationis capita ad ædificationem maximè sint necessaria; ac quomodo illa pro Concione urgenda tractandaque? quidnam illa à minus utilibus capitibus distinguit? quæque in hisce, si contingat opinionum diversitas, latitudo permittenda sit judiciorum salva charitate conscientiaque dissentientium?

10. An non ex neglectu Curæ Pastoralis, dum Doctoralibus omnes omni conatu Curis advigilant, fatali quadam necessitate ad Schismata atque inextricabiles contentiones Ecclesiæ trahantur? ac quomodo hæc Cura suis circumscribi limitibus; illa verò apud quos vel interiit vel refrixit, excitari ac instaurari possit?

Respon-

Reſponſio ad Præcedentia Problemata.

Reverendi Fratres ac Domini in Chriſto Obſervandiſſimi.

PErvenerunt nuper ad manus meas, Problemâta quædam de pace inter Evangelicas Eccleſias concilianda: lætatus ſum vel ipſius tituli lectione: poſtquam verò obſecrationem illam perlegiſſem, quæ in fine Præfationis ſubjicitur, per viſcera & miſerationes Ieſu Chriſti injecta mihi fateor religio eſt; neque potui committere, ut non hanc ſymbolam meam (tanquam ſitulam ad commune incendium reſtinguendum) conferrem. Atque ut illa ipſa veſtigia quæ in his Problematis impreſſa ſunt ſequar,

De opere ipſo Pacificationis in Generalita Cenſeo.

NIhil hoc Conſilio ſanctius aut pulchrius; adderem nihil utilius ſi utilitatem in rationem aliquam venire hæc tempora permitterent: ſed quod perinde eſt aut aliquanto etiam amplius, nihil ſalutarius; nihil cum officio aut Miniſtri Evangelii, aut boni viri conjunctius: Atque ut à ſanctitate ſumam exordium: Principio Deus ipſe, Deus pacis audit; cujus Filius Author & Princeps ſalutis noſtræ Princeps Pacis, Spiritus Sancti fructus Pax. Tum filii Dei, filii Pacis. Eorum via, & inſtitutum, via pacis, ſapientia pura & pacifica; fructus in pace ſeritur pacificis. Quid igitur ad privatum cujuſq; officium poteſt eſſe Chriſtiano dignius, quam ut ſit, quod audit filius pacis, ut dignè Deo incedat cum omni manſuetudine, uno ſpiritu, una

mente? Quid ad Eccleſiæ totius commune bonum pulchrius & jucundius quam habitare fratres etiam unà? Habemus etiam expreſſum Dei mandatum: quod rectè inciſum eſt commonitorij veſtri frontiſpicio, non modo ut pacem inter nos colamus, ſed ſi fieri poſſit (certè quantum in nobis eſt) cum omnibus. Quid turpius contra quam inter Chriſtianos & quidem Reformatores (ſi Chriſto placet) vigere illa opera carnis, inimicitias, contentiones, æmulationes, iras, rixas, diſſentiones, ſectas, invidiam? ſcilicet hoc eſt illud quod prophetavit *Eſaias* de regno Chriſti:
i. 11. 7. *Lupus & Agnus paſcentur ſimul, & Leo & Bos comedent pariter, non nocebunt, neque occident in monte Sanctitatis meæ, ait Dominus.* Teſtor ſpem noſtram in Ieſum Chriſtum: Objectum hoc mihi & exprobratum ab hoſtibus fidei Judæis pro argumento, quaſi Chriſtus nondum venerit. Et ab Aſſeclis Curiæ Romanæ, quid aliud audimus fere quam diſſenſiones noſtras inter nos? Hoc quoque prædictum (quod heu nimis verum experimur!) *fore ut mordentes invicem ab invicem conſumamur*: O ſpectaculum non hominibus modò piis, ſed & Angelis triſte & miſerandum, membra Chriſti ſe mutuò diſcerpere, dilaniare, detruncare! Sed reprimo me. Horum quidem vulnerum obligandi cura incumbit omnibus; præcipuè tamen Miniſtris qui dati ſunt in ædificationem corporis Chriſti, donec occurramus omnes in unitatem fidei & agnitionem Filij Dei. Ita olim Epiſcopi communicatis Conſiliis, fidei Unitatem & Pacem Eccleſiæ procurabant.

Qua

Qua de re videndi *Cent. Magdeburg. Cent* 4. *p.* 522. & deinceps extant exempla apud *Cyprianum Epist.* 67. *&* 68. Hoc officio illi opportunius fungi possunt, qui neutri sese parti addixerant. Eoque & Dei mandatum & amor Christi & muneris sui obeundi ratio, & Ecclesiæ ædificatio ipsos vehementer incitare debet.

2. *Quæ spes sit aliquid effici posse.*

GRavissimæ sunt fratrum offensiones, & Capitales imprimis, quæ sunt de Religione inimicitiæ. Nec mirum, videntur nimirum habere pietatis & zeli commendationem, ut quantò quisque eas acerbius exerceat, tantò se putet Deo gratiorem cultum exhibere. Sed tamen,

Nil desperandum Christo Duce & Auspice Christo.

Fortior est qui in nobis est quàm qui in mundo. *Deus Pacis conteret Satanam sub pedibus nostris.* Inter omnia ve- Rom.
rò impedimenta, longè maximum superbia & insolentia quorundam, qui soli sibi videntur sapere. Tantummodo ex superbia nascitur contentio, *Prov.* 13. 10. Tum Admiratio quorundam eximiorum Dei servorum: quæ ita minuenda videtur, ut existimationem benè de Ecclesia meritorum non lædamus. Hoc eodem morbo laborarunt *Corithii*, ut constat ex 1. *Cor.* 12. & 3, 4, 5, 6, 7, 9. v. unde ab Apostoli praxi Consilium & Remedium petendum videtur. Jam quod quæritur, Quid boni adferre possit Pax vel Ecclesiis vel Politiis? respondebit Psaltes, *Ibi Dominus*

133. *præcipit benedictionem, vitam in ſeculum: Robur accedet & fir-*
8.
9.19. *mitas Rebus-publicis veram Religionem profitentibus: Eccleſiæ, ædificabuntur ambulantes in timore Dei & conſolatione S. San-*
.6. *cti replebuntur.* Quare inambulet ſanè Cœli ac terræ odium qui tam ſanctum & ſalutare incæptum, aut impedit, aut pro virili non promovet.

De mediis Agendique modo.

ANte omnia recurrendum videtur ad auxilia ſuperna orationibus publicè & privatim (& indicto, ſi Magiſtratui videbitur, jejunio) præteritorum venia poſtulanda, petendumq; ut deducat noſtros in viam pacis
or.13. Deus Charitatis & Pacis. Et quoniam Regum ac Principum officium eſt non modò pacem in Repub. ſed & Eccleſia prucurare, juxta illud Propheticum: *Erunt Reges nutritii tui:* eorum quoque auxilia imploranda ſunt in hujus Schiſmatis remedium. Extat præclarum exemplum Hezechiæ, 2. *Chron.* 30. qui per celeres curſores reliquias decem Tribuum, ad verum Dei Cultum & Unionem: cum Eccleſia (à qua divulſæ fuerant *Jeroboami* Schiſmate) invitabat. Atque ex quo tempore Principes Chriſtiani eſſe cœperunt, Eccleſiæ negotia ex illorum nutu per aliquot ſecula pependerunt, ut *Socrates* teſtatur: & ſi quis rationem inire velit, reperiet plus adjumenti ad Eccleſiæ Pacem & Reformationem attuliſſe authoritatem Principum quàm ſtudium Epiſcoporum. Exorandi ſunt igitur pii Principes, ut legationibus aditus aperiant, ad Colloquium aliquod

aliquod Theologorum ex utraque parte ſelectorum, quibus formulam Concordiæ inter Eccleſias Reformatâs conſtituendi Cura demandetur. Hoc loco ex Compacto utrinque curandum, ut deligantur homines modeſti, manſueti, pacifici, non tumidi aut ambitioſi, maturi judicii, quique præter Scholaſticas Exercitationes, rerum Eccleſiaſticarum aliquem uſum habent. Ab hujuſmodi Collocutorum Electione ſucceſſus totius negotii potiſſimum pendebit. Quod ad modum attinet, procul dubio enitendum ut nequid habeat offenſionis aut exaſperationis. Itaq; honorificis & amantiſſimis titulis partes ſe mutuò compellent. Nihil præjudicati adferatur, differantur nonnulla, quædam ne commemorentur quidem, donec ſpes ſit obtineri poſſe, &c. Quoniam verò ad Pacem ſinceram conſtituendam, & communia dogmata & corruptelæ communiter oppugnatæ plurimum valere debent; cogitandum annon conveniat in hiſce duobus prius hærere & penè habitare, in his conſenſum ſtabilire, antequam ad illa deſcendatur in quibus diſcordes ſententiæ futuræ ſunt. Ad præjudicatas opiniones tollendas, oſtendi poterit, Reformatores primos optima mente incubuiſſe in hanc curam; ſed prudenter quædam ſuſtinuiſſe, quæ tum corrigere non poterant. In quibuſdam dum diſtorta corrigere conantur, in contrariam partem nonnulla & fortaſſe nimis inflexiſſe, homines fuiſſe, in quibuſdam labi potuiſſe. Experiundo Conſilia optimè judicari: Deum Opt. Maximum interdum humanis infirmitatibus, diſſentionibus & exacerba-

certatione bonorum abuti ad veritatiorem propagationem, veluti in diſſidio *Pauli & Barnabæ*. Nimium altercando veritatem ſæpe amitti. Jam olim nonnullos è Patribus diſputationum æſtu abreptos incommodè quædam ſcripſiſſe, cum tamen ſtudiis potius quam ſententiis diſſiderent: Hæc aut hujuſmodi medicamenta conquirenda ſunt, quibus factionis tumor diſcuti poſſit.

In Controverſis Capitibus magnopere curandum ut termini accuratè explicentur; ut quid ſit in Confeſſo diligenter expendatur, oſtendere (ſi fieri poſſit) oppoſitionem non eſſe ad idem, partes orandæ ut nequid temerè aut rigidè pronuntient. Siquidem de quibuſdam nullo modo convenire poſſit, videndum annon imperari poſſit ſilentium, de illis quæſtionibus in particulari, ut generalia & confeſſa publicè doceri ſufficiat.

Quod quæritur de via ſcientifica & Charitatis, utrâ procedendum? Optimè *Marcus* Eremita: *Cave ne unquam tentes rem difficilem per contentionem diſſolvere, ſed per ea quæ lex ſpiritualis facienda mandat; nempe, per patientiam, & precationem, & ſpem unicam, diſputationibus publicis parum aut nihil proficiſ.*

Expertum eſt, cum ſtudium victoriæ & pudor ſuccumbendi veritatis indagationem impediant, contentiones augeri. Contra, niſi convicta conſcientia, fruſtra ſuaſionibus agitur: itaque utrâque viâ procedendum videtur, ſed ſuaſionibus publicè, & pro concione, Apodeixi privatim, & inſcripto potius quàm frequenti auditorio, ut habeat pars con-

convicta reſipiſcendi locum: zeli temerarii in fratribus condemnandis arguendi, loci inter alios hi ſunto *Nos congnóſcere ex parte & prophetare ex parte. Neque nobiſcum natam neque morituram ſapientiam, ſpiritus Prophetarum ſubjiciendos Prophetis. Ante omnia ſectandam charitatem, cujus via excellentiſſima.* Scitum eſt illud *Conſtantini* Magni, qui *Aceſio* nimis regidè lapſos exagitanti; Erige ibi (inquit) ſcalam *Aceſi*, & ſolus aſcende ad Cœlum.

De Controverſis Capitibus.

QUanquam in cæremoniis pietas ſita non ſit, pauciſſimæque à Chriſto & Apoſtolis inſtitutæ in Scripturis commendantur, quoniam tamen nulla communitas conſiſtere poteſt ſine aliquibus cæremoniis; & eſt plebs earum tenaciſſima, ipſaque mutatio conſuetudinis, quæ adjuvat utilitate, novitate perturbat, non eſt earum cura negligenda; ſed poſt doctrinam primo loco (ſi quid ego judico) conſtituam. Diſtinguendæ ſunt Cæremoniæ. Sunt nimirum quædam quæ toto terrarum orbe obſervantur; aliæ quæ per loca & Regiones variantur. Habet nimirum unaque gens ſuas privatas, quas traditiones Apoſtolicas indigitat. Multum hoc loco tribuendum videtur judicio eorum qui præſunt Eccleſiis quid commodè mutari poſſit. Privatim verò tenenda eſt illa regula *Ambroſii*: *Ad quam fortè Eccleſiam veneris, ejus morem ſerva, ſi cuidam non vis eſſe ſcandalo, aut quemquam tibi.* Videatur de tota hac re *Auguſtinus*, *Epiſt.* 118. *Nicena* Synodus de obſerva-

ſervatione Paſchæ regulam fixit, magno ut ſtudio ita ſucceſſu; ſed poſt diſquiſitionem de fide de rebus Adiaphoris, videtur ex Apoſtoli doctrina ad *Rom.* 14. & 1. *Cor.* 8. ſic ſatis evidenter conſtare, abſtinendum ab earum uſu, neque libertate aut ſcientia noſtra fretis, fratres infirmiores offendendos. Quoties verò accedit authoritas ſuperioris, utpote Magiſtratus, aut Eccleſiæ, alia videtur eſſe Ratio. Adiaphoron ex vi verbi eſt quod ad Pietaten nihil intereſt: Res Adiaphora natura ſua urgeri poteſt ab iis qui Authoritate in Republica aut Eccleſia pollent, proſpectu ordinis decori & unitatis.

Nec poteſt ut videtur ſine temeritate aut nota contentionis ab eo qui ſubeſt, rejici prætextu quod videatur indecora aut ad ædificationem non facere.

Adiaphora non mutant naturam accedente ſuperioris mandato, ſed uſum habent vel neceſſarium, vel illicitum. Itidem cum ab Idololatris uſurpantur, uſus eorum ſuſpenditur, natura non mutatur. Superſtitio videtur eſſe in Religione exceſſus quidam, ſive in objecto cultus, ſive in mediis & modo, cujus defectus ex adverſo eſt Atheiſmus.

Rubuſtus in fide tenetur tolerare infirmos in omnibus & per omnia, ut nunquam liceat ſui animi ſcientia, vel poteſtatis cauſa aliquid facere, quo offendantur vel contriſtentur.

Robuſti in fide ſunt qui ſcientiam habent & ſenſus exercitatos ad diſcernendum bonum vel malum: infirmi contra ignari, vel nondum de ſua libertate perſuaſi.

De

De Cæremoniis.

EXorcismus admodum vetusta est Ceremonia, & quæ palam declarat potestatem quam habet Satanas in filios Adæ, unde provenit, ut nonnunquam eos corporaliter obsessos teneat. Videatur hac de re *Chemnitius. Tit.* de Baptismo, §. 4. Qui videtur satis commodè & pacificè loqui de hac Cæremonia. De fractione panis in S. Cœna dubitare non possumus, quin ita Christus ipse tradidit, ita Apostoli usurparint, quoniam panes azymi lati, & fragiles, ibi formam habebant, ut eos cum cuique particulam distribuere vellent, non scinderent, sed frangerent, unde & toti actioni nomen inditum est, *fractio panis*, ut *Act.* 20. 7. sed cum in eo sita non sit alimenti Analogia, quod scindatur panis vel frangatur, aut minori forma integer ore accipiatur, sed facultati nutriendi, frustra de hoc ritu digladiantur, sicut & de tempore, si quis à cœna tantum communicandum contenderet, & in Azymo. Si dederit Dominus ut in aliis majoris momenti convenire possimus, de hac cæremonia post viderimus.

Auricularis confessio opinione & more Papistico non est quòd sciam ab Ecclesiis *Lutheranorum* constabilita. Videatur *Chemnit. Exam. Part.* 2. *de Confess.* Sed absolutio pœnitentium pro Ministerio Reconciliationis à Deo imposito, id verò non est inter Adiaphora reputandum.

Altaria quæ dicuntur impropriè, sive ex saxo, sive ex ligno, mensæ sunt vero nomine: sicut & actio S. Cœnæ non

aliter ſacrificium quam commemoratio ſacrificii in cruce ſemel peracti: Lignea olim fuiſſe & linteamine co-operta teſtis eſt *Optatus Milevitanus, Lib. 6.*

Imagines extra uſum cultus, atque ut mera ſunt monumenta rerum geſtarum, vel adhibentur ornatus gratia, videntur Adiaphoræ. Ita lintea veſtis quæ Papatu antiquior, eſt in uſu Eccleſiaſtici. Conſociatio cum Chriſtianis, ſive in publico cultu, ſive in privata converſatione, dummodo nihil aut profiteamur, aut faciamus contra conſcientiam, omnino neceſſaria videtur, *Hebr.* 10. 25. Neque diſſenſum ſuum quiſquam profiteri tenetur, niſi poſcatur ex 1 *Petr.* 4. 15.

Quod de ſenſu quæritur illius loci, 1 *Cor.* 9. omnia qui dicit nihil excipit, ſed tamen res ipſa reſtringi poſtulat, ut nihil admittatur peccati, nihil falſi profiteamur, captetur ſemper opportunitas inſtituendi, & rectius informandi aliter affectos. Summa, *Quæ non ſunt contra fidem, neque contra bonos mores, & habent aliquid ad exhortationem vitæ melioris, ubicunque inſtitui videmus, vel inſtituta cognoſcimus, non ſolum non improbemus, ſed etiam laudando & imitando ſectemur, ſi aliquorum infirmitas non ita impedit, ut amplius detrimentum ſit: ſi enim eo modo impediat, ut majora ſtudiorum lucra ſperanda ſint, quam Calumniatorum detrimenta metuenda, ſine dubitatione faciendum eſt.* Hæc *Auguſt. Epiſt.* 119. *Cap.* 28. & infra. *Quod aut inſtituitur præter conſuetudinem, ut quaſi obſervatio Sacramenti ſit, approbare non poſſum, etſi multa hujuſmodi, propter nonnullarum vel ſanctarum vel turbulentarum perſonarum*

ſcan-

ſcandala devitanda, liberius imperare non audeo. Ibid. Cap. 19. Videantur ſequentia.

De Doctrinæ Capitibus.

QUod quæritur, quomodo doctrinæ capita tractari debeant, & (nempe ſi rectè capio) ut pax non lædatur?

Reſpondeo, utile imprimis videtur fore, ut ſecundum celebre illud *Moſis*, ſecreta & arcana Deo relinquamus, revelata tantum ad nos pertinere exiſtimemus. Tum ut non modo in re ipſa, ſed ne in rebus quidem & Phraſi à formula S. Scripturæ diſcedamus, ſive in Concionibus, ſive in ſcriptis privatis, ut pro Concione conceptus & diſcurſus Sp. Sancti premantur potius quam adferantur à Concionante, ut privatim lectores ad verba ipſa & ſeriem Scripturarum penſitandam, cum humilitate & charitate incitentur; & ſuper omnia cum frequenti illuminationis divinæ imploratione. Quod ad clamoſos Rabulas, ſiquidem nobiſcum in eadem Republica vivunt, orandi ſunt Magiſtratus, ut talibus ſilentium imponant. 2. Viri graves, & qui Authoritate pollent apud Populum, excitandi ſunt, qui reprehendant hoc genus, & obteſtentur populum ne talibus aures præbeant. Transferantur hujuſmodi homines ad vitia popularia reprehendenda, & inter cætera hanc ipſam ſuperbiam, ut nemini à nobis diſſidere fas putemus. Quod ſi in aliena ditione vivant, non tam diſputationibus cum illis, quam orationibus pro illis (ſicut & pro nobis)

eſt agendum. Diſputationum atque altercationum Cacoëthes, aliqua ex parte ſanari poſſe videtur, ſi prohibeatur à Magiſtratu inter pocula ſuper hiſce quæſtionibus Religionis controverſis ſermones ſerere, & hoſpites quoties ejuſmodi occaſio inciderit, tempeſtive obviam eant, moneantque occaſionibus litium abſtinendum. Quarum loco introduci poteſt lectio alicujus partis S. Hiſtoriæ aut aliorum S. Scripturæ locorum, qui ad mores pertinent, & Pſalmodia ex antiqua Eccleſiæ Praxi: Scholaſticæ diſputationes in Scholis neceſſariò adhibendæ videntur; ſed hic quoque abſit omnis, non vehementia ſed clamoſa importunitas, adeoque amarulentia & impudentia. Et componantur Theologiæ ſtudioſi ad gravitatem & modeſtiam. Res controverſæ variis modis rectè tractari poſſunt, & ſatis tutò adverſariorum dogmata everti, ſi modo diſputantes rem ipſam putent & mittant malè loqui. Verùm nonnullis controverſis prorſus interdicere bono pacis tutiſſimum fore videtur. Fundamentalium dogmatum à non-fundamentalibus diſtinctio videtur originem habere à loco *Pauli*, 1 *Cor*: 3. 11. Ubi habetur Chriſtum Ieſum eſſe fundamentum, præter quod aliud poni non poteſt. Cum termini ſunt Metaphorici, vix eſt ut exactè explicari poſſint, niſi per quandam Analogiam. Ut quoniam fundamentum in ædificio primum eſt, ac licet minimè conſpicuum, maximi tamen ſit momenti, ad operis firmitatem, cui ſi quid non inſiſtit, mole ſua ruinam trahit: Itidem in Religione prima principia, & præcipua dogmata vocentur fundamenta.

Fun-

Fundamentalia igitur dogmata à non-fundamentalibus non videntur commodius secerni posse quam symbolo. Ut nempe, quæ Ecclesia Christiana omnium temporum sufficere existimavit, ad confessionem in communi fide faciendam, ea dicuntur esse fundamentalia; cætera secus; sed principia ista mole minima, potestate maxima sunt; & fieri potest ut dogma aliquod verbis symbolo non repugnet, quod tamen re ipsa totum symbolum subvertat. Videatur *August. Lib. de Peccato Orig.* 1. *cap.* 23. *& cont. Iul. Lib.* 1. *cap.* 2. *&* 6.

Controversæ inter Reformatores doctrinæ capita si formaliter sumantur, non adhibitis consequentiarum fidiculis, fundamentalia non videntur: utcunque ad fundamenta pertinent, & in eo videtur esse præcipua partium culpa, quod suam quæque opinionem pro Articulo fidei habere vult. Persona Christi, decretum Christi, Præsentia & Manducatio corporis Christi in Sacra Cœna, Gratia qua servamur; sunt sanè loci fundamentales, sed non continuò omnia quæ circa hos aut in his dogmata.

Videantur quæ hac de re asserit *Ioh. Fritius* apud *Ioh. Foxium* in *Martyrologio*, pulchrè si quid ego judico.

Non quivis error in fundamentali dogmate, sed ipsa subversio vel abnegatio fundamentalis dogmatis perniciosa est, ubi in exterminium fidei corrupta sunt semina, ut ait *Tertullianus.*

Dissensio inter *Lutheranos*, & cæteros Reformatos cum sit in terminis contradicentibus (ut utraque pars rectè sentiat) conciliari non potest. Sed non est desperandum modò fraternè colloqui & sese explicare, fortasse etiam aliquid corrigere in melius daretur, & nonnihil remittere de severitate pronunciandi; quin pax conciliari possit, indicto saltem de quibusdam articulis silentio, sublataque verborum acerbitate.

Quod quæritur, quænam doctrinæ & exhortationis capita, ad ædificationem maximè sunt necessaria? Respondebit Apostolus, 1 *Tim.* 1. 15. *quæ ad peccatores informandos ad resipiscentiam*, & *Cap.* 4. 6, 9, 11, 12. *quæ ad spem in Deo vivo, ad Pietatem & usum Creaturarum cum gratiarum Actione & Oratione.* Item *cap.* 6. 4. *Quæ ad omnes ordines in suo quosque officio continendos.* 2 *Tim.* 2. 3, 4, 14. *Quæ ad constantiam & patientiam, & spem futurorum bonorum.* Sic, *Titus* 3. 8, 9. *Quæ excitant credentes, ut curent etiam bonis operibus præesse.* Ex hisce & similibus permultis, constat illa doctrinæ capita maximè saluraria, quæ ad fidem & charitatem, & officium plus componunt. Extremum illud de causis dissensionum, diligentissima contemplatione dignum est. Equidem sic censeo ex defectu curæ Pastoralis, magnam partem harum dissensionum enatam esse. Atqui videndum ne hic defectus profundiores habeat radices.

Multas

Multas quiſquilias & purgamenta ejecerant ex arca Dominica primi Reformatores, & certè in eo veterno, quo tum laborabat Orbis Chriſtianus, opus fuit non modò inclamare vehementer, ſed penè inclementius dicere. Jam Magiſtri ex ſuis moribus fingunt diſcipulos. Ab Hoſtibus etiam provocati contumeliis non abſtinuimus, factique ſumus in nos invicem moroſiores. Mitto jam factioſam perſonarum admirationem, mitto fervidas & inconſultas Adoleſcentium conciones: Nam Populus veluti tibia eſt, utque inflatur ita reſonat. Sunt quibus nihil ſatis Reformatum videtur, & quicquid antiquum, Antichriſtianum. Ad hæc mala magna remedii pars eſſet (quæ optanda potius quam ſperanda videtur) Adoleſcentium in Schola Theologica recta educatio. Altera, cura ordinandorum. Tertia, librorum imprimendorum ſevera cenſura. Quid ſi & impreſſorum? ſed hæc cogitabunt, quos Deus tanti operis Miniſtros excitabit. Unum addo quod ad paſtoralem curam excitandam, & inſtaurandam pertinet. Cum ſolenne ſit quibuſdam uſus Doctrinæ quos appellant commemorare; conſultius fortaſſe facturos, ſi iſta non tam dicerent quam facerent: verbi gratia, non tantum valere hanc aut illam Doctrinæ partem ad reprehenſionem, exhortationem, conſolationem, quam hortarentur, reprehenderent, conſolarentur. Nunc perinde faciunt, ac ſi quis ex Antidotario alicujus medicinæ facultatem, & vires enarrat, cum res poſcat ægro medicinam propinari.

Hæc habui Reverendi Fratres & Domini in Chriſto obſervandi, quæ ſuper Problematis veſtris conſultus, & penè jure jurando conſtrictus reſponderem. Quæ nolim tanquam decreta quædam & pronunciata haberi: fieri enim poteſt, ut mihi ipſi in nonnullis aliter aliàs videatur, ſed habetis ex ſincero corde opinionem meam; quam libenter meliori judicio, quam quo ego ſum, ſubjectam volo. Conſilium quidem ipſum pacificationis adeo pium & Chriſtianum eſt, ut omnes meos conatus, omnia conſilia & cogitationes, vitamque adeo ipſam eò conferre (Deo quidem dante & adjuvante) non dubitem.

FINIS.

SUMMARIE ACCOUNT OF Mr Iohn Dury's FORMER and LATTER NEGOTIATION:

For the procuring of true Gospell Peace, with Christian Moderation and Charitable Unity amongst the Protestant Churches, and Academies.

LONDON,
Printed for the Author, in the year 1657.

17.7 x 13.6 cm
(2).40 P